

**CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES
UNIVERSITY OF TORONTO**

M.A. Level Medieval Latin Examination

10 April 1995

Translate ALL passages. The examination has been set for two hours, but you may take an extra hour if you wish. Each question will be given equal weight in the final assessment. The use of dictionaries is NOT permitted. Please write on alternate lines, on one side of the paper only. DO NOT USE PENCIL.

1. Thomas à Kempis: Why being miserable is good for you

Bonum nobis est quod aliquando habeamus aliquas gravitates et contrarietates, quia saepe hominem ad cor revocant, quatenus se in exilio esse cognoscat, nec spem suam in aliqua re mundi ponat. Bonum est quod patiamur quandoque contradictores, et quod male et imperfecte de nobis sentiatur, etiamsi bene agimus et intendimus. Ista saepe juvant ad humilitatem, et a vana gloria nos defendunt. Tunc enim melius interiorem testem Deum quaerimus, quando foris vilipendimur ab hominibus, et non bene nobis creditur. Ideo deberet se homo in Deo totaliter firmare, ut non esset ei necesse multas humanas consolationes quaerere. Quando homo bonae voluntatis tribulatur, vel tentatur, et a malis cogitationibus affligitur, tunc Deum sibi magis necessarium intelligit, sine quo nihil boni se posse deprehendit. Tunc etiam tristatur, gemit et orat pro miseriis quas patitur. Tunc taedet eum diutius vivere, mortem optat venire, ut possit dissolvi, et cum Christo esse. Tunc enim bene advertit, perfectam securitatem et plenam pacem in mundo non posse constare.

2. Just another Wednesday night in downtown Torcello, 1290 C.E.

Galvanus filius Danielis de Savonaria de Padua, qui nunc moratur Maiorbii, iuratus mandata domini potestatis et sacramento requisitus que verba habuit cum presbitero Nicolao Maçaporco, respondit et dixit quod, cum ipse, die mercurii nuper elapsi, laboravisset in orto Petri Lambardi et venisset de dicto laborerio et exivisset extra portam dicti Petri Lambardi, venerunt presbiter Nicolaus predictus, presbiter Silvester, presbiter Dominicus Sancti Steni, Florencius et Dainesius qui morantur cum dominabus Sancte Marie de Valle Viridi, et dixit quod omnes predicti circumdederunt eum, et tunc dictus presbiter Nicolaus cepit ipsum per brachium, dicens, "Vos non stabitis in ista terra." Et levavit manum et percussit eum super nasum, et tunc iste Galvanus ivit in domum Çanini de Bono. Et tunc dictus presbiter Nicolaus dixit uni suo nepoti et uni suo avunculo: "Quandocumque vos invenitis istum Galvanum--ostendendo ipsum Galvanum cum digito--percutite ipsum secure meis expensis." Interrogatus de presentibus, respondit quod predicti fuerunt presentes.

3. The death of Jacob

Et praecepit eis, dicens: Ego congregor ad populum meum: sepelite me cum patribus meis in spelunca duplici quae est in agro Ephron Hethaei; contra Mambre in terra Chanaan, quam emit Abraham cum agro ab Ephron Hethaeo in possessionem sepulchri. Ibi sepelierunt eum et Saram uxorem eius: ibi sepultus est Isaac cum Rebecca coniuge sua: ibi et Lia condita iacet. Finitisque mandatis quibus filios instruebat, collegit pedes suos super lectulum, et obiit: appositusque est ad populum suum. Quod cernens Ioseph, ruit super faciem patris flens et deosculans eum. Praecepitque servis suis medicis ut aromatibus condirent patrem. Quibus iussa explentibus, transierunt quadraginta dies: iste quippe mos erat cadaverum conditorum: flevitque eum Aegyptus septuaginta diebus. Et expleto planctus tempore, locutus est Ioseph ad familiam Pharaonis: Si inveni gratiam in conspectu vestro, loquimini in auribus Pharaonis: eo quod pater meus adiuraverit me dicens: En morior, in sepulchro meo quod fodi mihi in terra Chanaan, sepelies me.

4. Augustine comments on Passage 3 of the M.A. Latin Examination

Videndum quomodo dicant Scripturae, quod assidue dicunt de mortuis, Et appositus est ad patres suos: vel, Appositus est ad populum suum. Ecce enim de Jacob dicitur, jam quidem mortuo, sed nondum sepulto; et ad quem populum apponatur, non in promptu est videre. Ex illo enim populus prior nascitur, qui dictus est populus Israel, qui vero eum praecesserunt tam pauci justi nominantur, ut eos populum appellare cunctemur. Nam si dictum esset, Appositus est ad patres suos, nulla quaestio fieret. An forte populus est, non solum hominum sanctorum; verum et Angelorum, populus civitatis illius, unde dicitur ad Hebraeos, Sed accessistis ad montem Sion, et ad civitatem Dei Jerusalem, et ad millia Angelorum exsultantium (Hebr. 12:22)? Hinc populo apponuntur qui hanc vitam placentes Deo finiunt. Tunc enim dicuntur apponi, quando nulla jam remanet sollicitudo tentationum, et periculum peccatorum.